Disputatio Politica,

DE

LEGIBUS NON-SCRIPTIS,

Quam

DEO BENE PROPITIO,

Permissu & consensu Amplissimi Senatus Philosophici in illustri ad Salam Athenæo

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Excellentissimi & PræClarissimi


DN. M. JOH-CHRISTFRIDI SAGITTARI, Poëseos & Historiarum Professoris Publici Famigeratissimi, Præceptoris & Promotoris plurimùm venerandi,

Publicæ Eruditorum ventilationi submittit

DAVID König PENICENSIS.

In Auditorio Philosophico.

D. Februari Hor. matut. VIII.



JENÆ

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS KEMPFFIUS.

ANNO M. DC. L.

Trigæ

Fratrum Per Illustrium atq; Generosissimorum Dominorum & Baronum à Schönburg / Dominorum Glauchaviæ & VValdenburgi Splendidissimæ

DN. JOHAN-HEINRICO,
Dynastæ Remsaviæ,

DN. CHRISTIANO,
Dynastæ Rochis-& Wechselburgl,

DN. WOLFIO HEINRICO,
Dynastæ Penigl,

Dominis Suis Clementissimis,

Nec non

Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo,


DN. GEORGIO ZORN / J. U. Doctori Admodum Famigerabili, Consiliario Collaudatorum gravissimo Baronum, Patrono suo omni Honore ætatem percolendo,

Hoc qualecunq; Exercitium Philosophicum in debiti ac penitus subjecti obsequii nec minus grati animi μνημόσυνον.

Humillimè atq; submissè dedicat & offert

David König.

PROLOQVIUM.



Utor librr. Rhetoricor. l.I. c. IV. legibus primas. ſecundas tribuit, ſcribens: ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως, i.e. *in legibus ſalus civitatis eſt ſita.* Spartana Reſp. ex omnibus aliis præbeat exemplum. Nam quod ea libera floruit, nullisque obnoxia tyrannis inconcuſſa ſtetit per aliquot ſeculorũ decurſus, *Thucydides* fuiſſe cauſſam dicit, quod εὐνομήθη, *fuerit optimis legibus adminiſtrata*, iis nimirum quas Lycurgus præſcripſerat, teſtibus *Herodoto* l. I. *Tacito* l. III. *Anal. Juſtino* l. III. intellexiſſe verò laudatum Scriptorem per νόμους leges in genere, ſive ſcripto fuerint comprehenſæ, ſive non; vel ex eo patet, quod multæ Gentes, ex. gr. Germanicæ, non tantum litterarum ſecreta, verùm etiam earum uſum ignorârint, adeoque per multa ſecula leges ſcriptas non habuerint: quas tamen prorſus deſtitutas fuiſſe legibus, aſſerere nemo facile poteſt; cùm ſine iis nulla ſocietas, ne latronum quidem aut piratarum, coire aut ſubſiſtere poſſit. Habuiſſe autem Majores noſtros qui jura per pagos & vicos redderent, ac controverſias minuerent, ex nobilitate electos, additis ex plebe comitibus in conſilium & autoritatem, *Cæſar l. VI. de B. G. & Tacitus l. de moribus Germanorum* locupletes ſunt teſtes. Hinc idem Hiſtoricus Germanos cum populis aliis, qui legum ſcriptarum laborarent copiâ, pro more comparans, elogio inſigni eos ornat, ſcribens:

bens: *plus apud eos valent boni mores, quàm alibi bonæ leges.* Quapropter cùm sua habuerint judicia per pagos & vicos, fuerintq; vel apud hostes, morum sanctimoniâ celebres, leges adfuisse oportet optimas, quæ licet non chartæ, menti tamen fuerint inscriptæ. Sicut verò legibus scriptis sua non deneganda est laus & autoritas: ita *Isocrates in Areopagitico* rectè monet: sic vertente Wolffio: *Decere prudentes magistratus non porticus implere legibus, sed efficere, ut cives animis insitum habeant justitiæ studium. Non enim senatus consulta, aut plebis scita, sed præclara instituta felicem efficere civitatem.* Græca sunt ἐμφατικώτερα, quæ interpres minus expressisse videtur: δεῖ δὲ τοὺς ὀρθῶς πολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις.

Ex quibus conjicere est in proclivi, operâ omnem Philosohiæ Moralis studiosum non perditurum, qui de LEGIBUS NON SCRIPTIS quædam in medium protulerit. Quod dum facere laboramus, Tuum est, benevole Lector, faventia benigniori nostros prosequi conatus, quam & Tuis conatibus pollicemur, & præstabimus.

I. De *legibus non-scriptis* acturi scire debemus: leges dici *scriptas* & *non scriptas* modo non uno. Primo enim lex *scripta* dicitur, quæ litterarum consignatur monumentis; *non-scripta*, quæ litteris non mandatur. Quo quidem sensu Athenienses *scriptis*; Lacedæmonii *non-scriptis* leguntur usi. Nam *Solon statuit, ut in ligneis tabulis leges describerentur*; Lycurgus verò *in scriptis nullas tulit leges*, ut *Plutarchus* in horum legislatorum vitis recenset.

II. Deinde, scripta dicitur, quæ *expressè à summa*

ma potestate fuit sancita, sive fuerit factum scripto, sive ita, ut memoriæ potius hominum mandaretur, quàm litteris, postquam fuit promulgata. Quo in significatu *leges* quoque *scriptas* Lacedæmonii non minus habuerunt, quàm Athenienses; Germani non minus, quam Romani. Consvetudines verò *leges* sunt *non scripta,* quia expressè non fuerunt conditæ.

III. Porro *lex scripta* eadem est quæ *positiva humana* & opponitur legi naturali. Sicut videre est in illo Ciceronis: *Est non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, sed hausimus.* Atque ita *lex non-scripta* sæpè nihil aliud notat, quàm *legem Natura.* Apertè satis Xenophon l. de dictis & factis Socratis: *Nosti etiam, ô Hippia,* leges *quasdam esse* non scriptas? *nempe eas dicis,* inquit, *qua apud omnes Gentes peraquè observantur. Potesne igitur,* inquit, *dicere, illas ab hominibus latas esse? Quomodo,* inquit; *qui neq; unum in locum omnes convenire, neq; sermone uno uti poßint? à quibus ergò leges istas latas arbitraris? Equidem à Diis arbitror eas datas hominibus fuisse. Etenim apud omnes Gentes prima illa posita lex est, ut Deum veneremur. Praterea lex ubiq; est, ut honorem parentibus deferamus.* Hæc *ille.* Et Plato apud Laërtium l. III. *Alia est lex non-scripta, & à* natura *& usu proficiscitur; quale est:* non prodire nudum in forum; *nec muliebri veste uti.*

IV. Quo respexisse videntur Historici, quando priscos, veteresq; vetustos, *sine legibus* vixisse scribunt, innuentes eos legem naturæ pro lege habuisse. Audiamus scriptorem & ab eloquentia & prudentia Politica instructum *Tacitum* l. III. Annal. *Vetustissimi,* inquientem, *mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœna aut coercitionibus agebant: neq; pramiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur: & ubi ni-*

hil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes & leges. Et Justinus l. II. de Scythis: *Justitia gentis ingenio culta, non legibus.* Cui conformia scribit Nicephorus Gregoras Byzantynae histor. l I. de eadem gente. *Apud illam gentem, cum ea res non sint, è quibus lites & contentiones oriuntur, mutuaq; insidiae & caedes suscipiuntur, neq; judiciis, neq; curiis, neq;* Legum recitationibus *est opus: ac ne eloquentia quidem verborumq; argutia ac perplexae inventiones locum habent: sed* innata quaedam justitia illos regit, *& haud invidenda libertas. Quibus de causis & Homerus eos mortalium justissimos appellavit.*

V. Caeterùm, in hac dissertatione *legum non scriptarum* vocibus potissimum utemur in significatu secundo, prout iisdem notatur idem quod aliàs vocabulo *consuetudinis* solet notari.

VI. Sicut autem leges ratione causae efficientis dividuntur in *divinas* & *humanas*, ita eaedem *ratione modi ferendi* dividuntur in *scriptas* & *non scriptas*. Quae divisio, quantum ad membrum posterius, est *Platonis*, teste Laertio; *Aristotelis* l. VI. Polit. c. V. scribentis: legislator ponat νόμυς ἀγράφυς καὶ γεγραμμένυς, i.e. *leges non scriptas & scriptas.* Et Autoris II. Rhetoricorum l. 1. c. XIII. *Dico autem*, inquientis, *legem partim propriam, partim communem. Propriam quidem singulis definitam inter ipsos, eamq; aut non-scriptam, aut scriptam.* Quin eandem, praeeuntibus Philosophis Graecis, sacratissimus Imperator Justinianus in Instit. *de jure natural. gentium & civili* non improbavit. Quae verò *Lilius Gyraldus* monuerit *Dialogismo XXVIII*, apud eundem legantur.

VII. Est autem *lex non-scripta*, sive *consuetudo*,

jus

jus quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobârit, ut deſcribit *Cicero l. II. de Invent. c. V.* A quâ vel nihil vel parum diſcrepat illa Alphonſi: *Conſuetudo est jus non ſcriptum, quod ex longo & continuo uſu ortum*; ut verba citat *Vaſqv.* in 1. 2. Thom. q. XCVII. *art.* III. *diſp.* CXXXVII. n. 1. aut communis JCtorum: *conſvetudo est jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.* Ciceronis tamen deſcriptio reſpicere videtur ad Remp. popularem, in qua; *omnium voluntate*, conſuetudo comprobatur.

VIII. Talis lex non-ſcripta Græcis dicitur νόμ☉ ἄγραφ☉, ut patet ex th. VI. νόμ☉ πάτρι☉, *lex patria*, Ariſtot. II. Polit. c. VIII. ἔθ☉ *conſvetudo.* Latinis, mores; majorum inſtituta.

IX Poteſt porro triplex conſtitui conſvetudinis genus. *Primum* eſt circa rem quandam peculiarem, ſive ſit circa locum, ſive circa perſonas: *alterum*, circa utrumq; ſimul: *tertium* eſt circa facta hominum. De tertio potiſſimum noſter erit ſermo.

X. *Thomas 1. 2. q. XCVII. art. 3.* tria adſcribit conſvetudini: *quod vim habeat legis*; *legem aboleat*; *& legem interpretetur.* De ſingulis ordine. Quod antequam fiat, declarandum eſt, per quodnam lex non-ſcripta ſive cõſvetudo habeat, quod dicatur conſvetudo, adeoque vim legis habeat. Non ſanè inde habet, quod lex aliqua negligatur, adeoq; actus multi, à quâdam lege deviantes, per multam annorum ſeriem poſſint allegari: ſed quod à Majeſtate, ſeu, pro Reip. forma, ab habente, aut habentibus jus legum condendarum, explicandarum, & removendarũ, tacitè fuerit conſenſum in illos actus, legibus expreſſis contrarios. Sicut enim lex unicè ſuum eſſe habet à Majeſtate, nec vim

ſuam

ſuam & autoritatem tùm demum accipit, ſi à ſubditis recipiatur; ſi bona ſit; & quæ forſan aliàs à quibusdam requiruntur: ita & conſvetudo, quod legis vim habeat, debet id unicè tacito Majeſtatis conſenſui & tolerantiæ, quam neceſſe eſt anteceſſiſſe ipſam actuum legi expreſſæ adverſantium notitiam. Nam qui actus Majeſtatem fallunt, etiamſi millies à ſubditis per longam annorum ſeriem præſtentur, conſvetudinem, quæ legis habeat vim, non conſtituunt.

XI. Ut verò conſvetudo vim habeat legis, quatuor dicit eſſe neceſſaria *Medina* d. l. in *Thomam*. Primum eſt, *ut id, de quo inducitur conſvetudo, ſit actus bonus, & poſſit eſſe materia legis juſta.* Nam conſvetudo, *ait*, habet vim legis. Ergo debet eſſe de ea re, de qua lex ſtatui poſſit. Quare de re illicita & indifferenti nunquam prævalet conſvetudo, ut vim legis obtineat.

XII. Sed cum Medina cum multis aliis præſupponat: *nil niſi de re juſta & licita poſſe eſſe legem*, adeoq; quæ lex talis non ſit, deſinere eſſe legem: non eſt mirum, ſi ſtatuat, actus tantum bonos requiri ad conſvetudinem, ſi debeat habere vim legis. Dicendum verò potiùs eſt, ut conſuetudo legis vi polleat, non requiri, ut actus non niſi boni adſint; cùm, ſi alia non deſint, etiam actus merè mali, imò perverſiſſimi, poſſint adeſſe, ut per hos tamen non impediatur, quo minus conſvetudo vi gaudeat legis. De re verò *illicita poſſe prævalere legem* non-ſcriptam ſive conſvetudinem vel ex hiſtoria Paſſionis patet, ubi obtinuit conſvetudo, ut circa Paſchatos feſtum quidam, capitali ſupplicio dignior, dimitteretur; contra legem expreſſam divinam. De *re indifferenti* tantò minor eſt difficultas, poſſe conſvetudinem prævalere. Nam indifferens eſt geſtare

ſtare gladium, & non geſtare. At noſtri majores non niſi gladiis cincti in publico deliberabant. Sic enim *Tacitus l. de morib. German.* Nihil neq; publicæ, neq; privatæ rei, niſi armati agunt.

XIII. Hinc nec opus eſt, ut conſvetudo ſemper ſit *rationi conſona.* Quod requirebat *Domin. à Soto. l. 1. de Juſtit. & Jur. q. VII. art. 2.* Videturq; Cajetani ſententia probabilior, citante laudato Soto, ſtatuentis: conſvetudinem, quæ per actus illicitos inceperit, temporis lapſu ſuam habere autoritatem. An verò poſteri potius noſtri, ut quidem putat Domin. à Soto. quam nos ipſi, tali teneantur conſvetudine, jam NON LIQUET.

XIV. Alterum, quod requirebat Medina, eſt, ut *conſvetudo eſſet univerſalis, non paucorum.* Sed, ſi à paucis quibusdam, ex. gr. in quodam collegio, aut certó ordine, mercatorum, opificum, aliorumque, actus quidam ſæpius repetiti, non diſſentiente Majeſtate, exercerentur, quis negaret, ex talibus actibus tandem conſvetudinem poſſe oriri? non obſtante, quod eſſet *paucorum.*

XV. Tertium, ut id, quod ducitur in conſvetudinem, *judicetur ab omnibus obſervatu neceſſarium;* & non tanquam faciendum ex populi devotione, & affectu pio.

XVI. Verum neq; hoc requiſitum Medinæ omni videtur dubio carere. Quodſi enim ex devotione populi & pio affectu quid contra legem impiam tyranni, aut impiorum imperantium, ſæpius ſuſciperetur, ex. gr. ſi populus contra legem expreſſam ſacros inſtitueret conventus; qui licet prohibiti eſſent à Majeſtate, tolerarentur tamen ab eadem, ut tacitè vide-

retur lex expressa abrogari; non sanè videmus, cur non posset id, quod ex populi devotione & pio affectu fuerat susceptum, dici consvetudo, & vim habere legis.

XVII. Quartum denique ex sententia Medinæ erat, *ut adprobatio superioris adesset expressa, vel interpretativa.* Cujus, *inquit*, evidens argumentum erit, si superior puniat transgressores consvetudinis, ac si essent legis violatores.

XVIII. In toto hoc negotio ad Majestatem, seu superiorem, vel unicè respiciendum esse non negamus. An autem ejus approbatio *expressa* requiratur, non immeritò dubitamus. Nam sicut lex, quibuscunque verbis sanciatur, abrogari potest à Majestate, sive fiat per legem expressam, quæ apertè priorem removeat; sive per consensum circa legis expresse latæ neglectum, ut legis non observatæ nullam velit esse obligationem ad pœnam: ita sufficere videtur ad constituendam consvetudinem solus Majestatis consensus, qui esse potest sine ejusdem approbatione *expressa.* Nam consvetudo esse suum accipit à patientia, & tacito quodam jussu Majestatis. Sola ergo non improbatio actuum, legi expressæ contrariorum, ad inducendam consvetudinem videtur esse sufficiens, licet Majestatis aut Superioris non adsit approbatio *expressa.* Adque hæc de primo, quando *consvetudo obtineat vim legis.*

XIX. Hisce declaratis addendum: *Num consvetudo vim legis possit habere contra legem divinam vel naturalem?* Thomas *1.2.* qu. XCVII: *art.3.* ad primum; negat, *scribens:* nulla consvetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam vel naturalem. Dicit enim Isidorus in Synonymis: usus autoritati cedat: pravum usum lex & ratio vincat. XIX.

XX. Quæstio, ut patet, instituta est de facto, non de jure. Quapropter, sicut lex est lex, & obligandi virtute pollet, non, quod cum recta ratione consentiat, & propius absit à divinis aut naturalibus legibus; sed potius quod Majestati sic fuerit visum, legem præscriptam debere habere vim obligandi subditos: ita & consvetudo non potest propterea vim legis obtinere, quod non sit contraria legibus naturalibus; sed quod Majestas toleraverit, ut lex expressa negligeretur, sive actus illi, legi contrarii, sint legi naturali conformes, sive non.

XXI. Notanter dixi: *Si Majestas toleraverit*; aut, ut suprà; *si in actus legi contrarios tacitè consenserit.* Quod si enim ex quadam Majestatis negligentiâ aut inadvertentia, contra legem actus multiplicati fuerint; aut Majestas minus fuerit potens sumere vindictam de transgressoribus: aut etiam magistratus inferiores sine consensu aut permissu supremi, in tales actus à lege deviantes, consenserint, consvetudo talis legis vim non acquirit.

XXII. Nec tamen dixerim: *omnem consvetudinem ex multis fieri actibus malis.* Potest enim lex quædam deficere, ut opus sit recurrere ad æquitatem. Quod si sæpius facias, ex actibus illis crebrioribus, quorum tamen nullus est malus, consuetudo oriri potest, si non per Majestatem impediatur, sed potius consensu illius confirmetur.

XXIII. Eadem lex non scripta, sive consvetudo, monente Thoma, *legem abolet* scriptam. Non quod transgressores sua malitiâ illam aboleant, aut abolere possint; sed quod tacito Superiorum consensu lex, quæ negligebatur, videatur aboleri. Unde si

aliqua consvetudo ita invaluisset, ut nec actus, legi priori contrarii, prohiberentur, nec prævaricatores punirentur, lex à consvetudine vinceretur, sive justè, sive injustè ea fuisset introducta.

XXIV. Quærenti, *quando consvetudo incipiat prævalere, ut legem vincat*; respondet *Medina*: sufficienter esse introductam, quando viri probi & prudentes censeant esse introductam. Nec aliam evidentiorem regulam statui posse.

XXV. Sed sic dependebit potius consvetudo, ut sit talis, à judicio virorum bonorum & prudentum; quàm à Majestatis tacito consensu; à quo tamen legem non-scriptam esse suum accipere diximus thesi XVIII.

XXVI. Quid verò fiet, si legi alicui hæc, aut alia ejusdem sensus sint adjecta: *non obstante quacunque consvetudine in contrarium*: an & sic consvetudo legem abrogabit? *Dominicus à Soto l.1.de Justic. & Jure q. VII. artic. 2.* negat quoniam, *inquiens*, consvetudo tunc nihil operatur; eò quod nunquam indicium est talis voluntatis principis. Tametsi tàm longa potest esse in contrarium, maximè in seculo aliorum principum, ut decretum etiam illud irritans evincat.

XXVII. Huic sententiæ adversatur *Barthol. Medina* l.d *scribens*: quibuscunq; verbis lex statuta sit, potest à principe per verba derogari: sed consvetudo adprobata à principe habet verborum vim. Ergo talis consvetudo vincit legem quibuscunq; verbis sit lata.

XXVIII. Nec tamen putandum est, *omnem consvetudinem oriri ex certis actibus, legi contrariis, qui eam aboleant*. Dari enim possunt multæ consvetudines, quæ nulli legi contrariantur, cum prorsus nulla adfuerit.

XXVIII.

XXIX. Tandem, ex ſententia Thomæ *conſvetudo legum eſt interpres.* Ad quod à *Medina* duo requiruntur. Primum eſt, *ut ſit publica, & neminem facilè lateat.* Licet enim à multis quid obſervetur legibus contrarium, ut ad noticiam ejus, aut eorum, non veniat, qui legum habet curam, conſvetudo talis legum non ſit declaratrix. Alterum eſt, *ut Princeps* (aut quicunq; jus legum habet) *adprobet talem conſvetudinem*, nec puniat à lege aliàs recepta recedentes; quamvis ejus neglectæ accuſentur, aut aliàs notum ſit Majeſtati, legem hanc aut illam non fuiſſe ſervatam, nec ſervari. Quæ adprobatio, ſive tacita conſenſio non tantùm *Medinæ*, verùm etiam *Dominico à Soto*, aliisq;, legis eſt interpretatio, & quidem factis præſtita potius, quàm verbis.

XXX. Hinc non eſt dubium, quin talis lex non-ſcripta, ſive conſvetudo, quæ & vim legis habeat, eam interpretetur, & aboleat, ſubditos obliget; & quidem ſi mala ſit, & negligatur, ad pœnam; ſin bona, unà etiam in conſcientià

XXXI. Cùm verò ex dictis poſſit quivis colligere: permiſſionem, à Majeſtate factam, non leve conferre momentum ad conſvetudinem introducendam, providebit Majeſtas, aut cui legum cura commiſſa, ne facilè bis, aut ſæpius quædam permittantur contra leges expreſſas. Enim verò, *verba ſunt Dominici à Soto l. 1. de Juſtit. & Jur. q. VII. art. 2.* ad id perſvadendum, quod novum petitur, in cauſſam adducitur, quod unus actus nihil nocere poteſt: poſtea verò ſimilitudine illius alter perſvadetur, ac ſubinde conſvetudo vires nanciſcitur. Idem vult Ariſtoteles, quando l. V. Polit. cap. III. neglectum παρὰ τὸ μικρὸν in

rebus publicis dicit esse, inter alias, caussas mutationum in iisdem. Verba Philosophi sunt: ἔτι διὰ τὸ παρὰ μικρὸν. λέγω δὲ παρὰ μικρὸν, ὅτι πολλάκις λανθάνει μεγάλη γινομένη μετάβασις τῶν νομίμων, ὅταν παρορῶσι τὸ μικρὸν i. e. *insuper propter pusillum. Dico autem pusillum, quando latet paulatim subcrescens Reipublicæ mutatio, quæ ad magnitudinem latenter evadit, si negligatur.* Adi si lubet ad l. d. Polit. c. IV. VII. VIII. & l. VI. c. IV. Didicit hoc à suo Præceptore Platone, qui X. de LL. *neq; gubernatoribus*, inquit, *neq; Imperatoribus res bene sub manum succedet, nisi minima quoq; sibi curæ habeant.* Quibus gemina tradit Livius l. VII. *quamvis parva sint hæc, tamen parva etiam hæc non contemnendo, Majores nostri maximam hanc rem suam fecere.* Et Tacitus, cum ferè inimitabili dicendi brevitate judicium conjungens Politicum: *Non sine usu fuerit introspicere illa primo adspectu levia, ex quibus magnarum sæpe rerum motus exoriuntur.*

XXXII. Dignitas rei postulat, ut, quæ diximus, exemplis illustrentur. Apud *Athenienses* spiritus gerebat regios Pisistratus, qui seipsum vulnerabat, & in publicum prodiens clamitabat, se modis indignis ab inimicis acceptum. Ariston decernebat quinquaginta armatos pro custodia; Sed multitudo imprudentior concedit Pisistrato custodes, quotqvot modò alere posset. Qua conditione non negligenter arrepta, Pisistratus arcem occupavit, & tyrannidem invasit, *referente Plutarcho in vita Solonis.*

XXXIII. Apud *Romanos* Jul. Cæsar, Augustus, Tiberius, populo persuadebant, se esse acerrimos libertatis custodes; oblectabat sese inanibus Reipubl. popularis simulacris stolida multitudo; cum interea dicti Imperatores re ipsa essent sive Reges, sive Tyranni.

ni. Cauſſa erroris erat, quod S. P. Q. R. omnia in unum conferret; aut pateretur, ut unus *munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe traheret, nullo adverſante*, ut loquitur de Auguſto l. 1. Annal. c. II. Tacitus, eximius harum artium notator; quas in Notis ad laudatum Autorem Lectori obſervandas monuimus.

XXXIV. Apud *Germanos* rerum Politicarum, hiſtoriarumque patriarum periti ſollicitè inquiſiverunt, quando Sereniſſimorum Electorum ceperit autoritas. Poſt graviſſimos tandem labores ſubſiſtere coacti fuerunt in Ariſtotelico illo: παρὰ τὸ μικρὸν. nempe ſenſim tantam eligendi Imperatoris poteſtatem, quæ omnium ſtatuum aliàs communis fuerat, ad certos denique tranſiiſſe. Adeò verum eſt: *magnarum mutationum nos latere initia, nec eas à nobis animadverti priùs, quàm fuerint facta.* Gutta lapidem cavat paulatim; nec cavari vides, ſed excavatum eſſe. Arbores creſcere non conſpicimus, eas tamen creviſſe non ſine gaudio & delectatione miramur.

XXXV. Atq; talis conſuetudo, quæ ex neglectu παρὰ τὸ μικρὸν oritur, dici à quibusdam videtur *inſenſilis*, quia neſcis quando inceperit, quando tantas egerit radices, ut ejus deinde abolitio interdum conjuncta videatur cum tumultu, aut Reip. convulſione.

XXXVI. Reſtat, ut exponatur, *utra ſit validior ex legibus: lex* ne *ſcripta*, an verò conſuetudo, ſive *lex non-ſcripta*. Quid ſtatuat *Ariſtoteles*, patet ex *III. Politic. cap. XVI.* κυριώτεροι καὶ περὶ κυριωτέρων τῶν κατὰ γράμματα νόμων οἱ κατὰ τὰ ἔθη εἰσιν. *i. e.* ex verſione Lambini: *majorem autoritatem habent, & ſunt de rebus majoris ponderis leges in moribus poſitæ, quàm leges ſcriptæ.*

XXXVII. Ex quibus conſtat apertè, legum non-

ſcri-

ſcriptarum majorem eſſe autoritatem, quàm ſcriptarum; præſertim ſi legibus Naturæ conſentiant. Quam Philoſophi ſententiam ſuo quoque ſuffragio confirmat *Paulus JCTus in l. 36. ff. de LL. SCTis & longa conſuet. ſcribens: Magna autoritatis hoc jus habetur: quod in tantum probatum eſt, ut non fuerit neceſſe ſcripto id comprehendere.*

XXXVIII. Temporis ſanè diuturnitas non minimam conciliat legibus autoritatem. Quod indicat Philoſophus II. Politic. c. VIII, *lex nullam vim habet, ut ipſi pareatur, niſi ex more. Mos autem non fit, niſi temporis longitudine.* Ubi etiam præclarè docet: leges patrias, *νόμους πατρίους*, per ſcriptas non eſſe removendas. Graviſſimè quoque *Nobil. Caſpar Facius in Politica Liviana, Errore XVI.* monet: *in Rebuspublicis à conſuetudine non facile eſſe recedendum.*

XXXIX. Quia quoque leges non-ſcriptæ per multos annorum, imò interdum ſeculorum, delapſus deprehenſæ fuerunt utiles, & ab ipſo quaſi ævo repetunt & originem & dignitatem, præferendæ videntur ſcriptis, quæ ſæpius inſufficientes ſunt, nonnunquam etiam injuſtæ. Quare Lycurgus noluit ſuas ſcribi leges, aut litteris conſignari, ut animo firmiores inhærerent, Plutarcho teſte in vita Lycurgi. Eandem ferè cauſſam, licet in negotio aliquantiſper diſſimili, J. Cæſar l. VI de Bello Gallico, cur apud Gallos Druidum informationi concrediti *magnum numerum verſuum ediſcant.* Id mihi, *inquit*, duabus de cauſſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgum diſciplinam efferri velint; neque eos, qui diſcunt, litteris confiſos minus memoriæ ſtudere. Quod ferè plerisque accidit, ut præſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant.

XL.

XL. Nec nullam accipiunt autoritatem leges non-ſcrptæ ex eo, quod ſæpius agant de rebus gravioribus, ut de Relligione, de pietate in patriam, in parentes; quæ fundata ſunt in ipſo jure Naturæ. Quæ & cauſſa eſſe videtur, quod Plato VII. de LL. ἄγραφα νόμιμα καὶ νόμους πατρίους i. e. *jura non-ſcripta & leges patrias* adpellet δεσμοὺς πάσης πολιτείας i. e. *vincula cujusvis Reip.* Nec obſcurè oſtendit *Iſocrates in Oratione Areopagiticâ*, Athenienſes ideò ad ſtatum popularem corruptum prolapſos fuiſſe, quod inter alia *majorum inſtituta circa ſacra neglexiſſent*. Illi enim, *inquit*, accuratè obſervabant, ne à patribus acceptum quicquam vel abrogarent vel ultra conſveta adjicerent.

XLI. Tandem, conſvetudines quasdam *ſatis ridiculas* adjeciſſe, à noſtro inſtituto non videbitur prorſus alienum. Apud Helvetios obtinuit olim conſvetudo, ut, ſi quando magiſtratus aliquis improbaretur, ſtatua lignea cum titulo magiſtratus poneretur, addito elogio, uti, cui ille diſpliceret magiſtratus, ſtatuæ clavum infigeret. Hoc modo ſæpe vel unica die tota ſtatua clavis confixa fuit. Quo facto, officialis ille in judicium vocatus, condemnatus eſt, nullo prorſus judicio, ſed ſæpe ſceleratâ peſſimorum conſpiratione.


XLII. Sic Klagenfurti quod eſt Carinthiæ oppidum, ſuſpectus furti in furcam agebatur, qui ſi reus inventus eſſet, pendulus manebat: ſin innocens, funere publico in cœmeterium deferebatur, ſi fides habenda *Bodino* Hiſt. Method. c. V. *Joh. Bohemo de Europâ* l. III. c. XVII. *& Fabro Hiſtor.* Svev. l. I. cap. XVIII. De Raguſiis, filias virgines & nuptas advenis obferentibus, lege *Lehm. Chron. Spirenſ. l. V. c. XL. p. 517.*

XLIII. Deniq; obiter explicandum eſt, quid ſit

Consvetudo olitana, cujus Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum facit mentionem: Apostolica, *inquiens*, prævidimus autoritate, ut canones in decretis eorum consistant, & quando à nobis ordinantur, *olitana consvetudine* proclametur: plebs & clerus Ecclesiæ illius simul consistens, elegerunt sibi Episcopum.

XLIV. Flacius *olitana consvetudine* putat respici ad concilium quoddam, quod dictum fuerit Olitanum. Sed rectius forsan exponetur consvetudo *olitana*, ut sit *antiqua, inolita, vetusta*, voce quasi ab *olim* derivatâ. Sic enim Anastasius in Paschali Primo etiam dixit *tempora olitana*. Et Carolus Calvus in libello proclamatorio adversus Wenilonem dicit *olitana consvetudine* in Francorum regno reges ex genere prodire, ut legimus apud Cardinalem Baronium Tom. X. Anno DCCC LIX. n. 25.

DEO GLORIA.



Liber ab adfectu nimio REX creditur esse;
Quiq; sui vixisse potens perhibetur in orbe,
Victor ovat vitiorum, nulli cedere promtus.
Moribus ornatus sanctis, pietate modesta
Cinctus, declaras Te dignum nomine REGIS.

Boni ominis causâ Eximio atque
Eruditissimo Dn. Respondenti,
Amico suo dilecto scrib.

Præses.

Ad

Sic, Germane minor, Tu comples vota Parentum,
Olim quæ renuit mî lachrymosa dies:
Ista dies, Patris quâ Mars rapit æs, moriturque
Mater & Antistes Penicianus, Avus.*
Ista dies, bello, quâ Patria deflagrabat
Subq; primebantur præmia tot Procerum.
Sola tamen miseros, per saxa, per arva, per ignes
duxit inopino Gratia Dia modo.
Penicium primis, Te Glaucha sequentibus annis,
Altenburg Juvenem, & Lipsia docta docet,
Jena Magistrales donabat nuper Honores:
En! fanti è cathedrâ nunc favet aure Tibi.
Frater amo Fratrem, quin fratris honore refulto,
& Nostrûm cineres gaudeo concinere:
Gnate, Nepos, Frater, nondum spes cœpta fefellit:
Perge Bonis multùm Terq; placere DEO:
Perge piis Sophiæ plura & majora Camœnis
Addere, Theulogies consociale decus.

** Vir plurimùm Reverendus M. Johannes* Scheubner/ *Superintendens olim Penicensis.*

Spi-

Spiritus excelsis cœli demissus ab oris
servet, conservet sensa animumque Tuum!

συγχαιρετύνης χάριν
facieb. Frater natu max.

Johannes König Pastor Schönburgiacus Wideraviæ & Königshain.

